

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali**

**Hufeland, Gottlieb**

**Jenae, 1799**

**VD18 12256064**

§. 29. ε) An protestatio de non facta acceptatione interdum die solutionis  
sit iteranda?

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8845**

## §. 29.

*ε) An protestatio de non facta acceptatione interdum die solutionis sit iteranda?*

Restat adhuc quaestio plures agitata: an protestatio de non facta acceptatione cambii ob absentiam debitoris interposita deinde die solutionis sit iteranda? Generaliter enim hanc quaestionem conceptam apud LEYSERUM\*) habes; non uti PÜTTMANNUS\*\*) perhibet, ad cambia nundinarum solummodo restrictam. Ex his enim plurima quidem exempla ad istam quaestionem pertinentia occurunt, non vero de iisdem singulariter disquiritur. Affirmat quaestionem supra propositam dictus LEYSERUS et doctores a suis partibus stantes allegat \*\*\*); sed si ipsa horum verba consideres, parum feliciter. Vel enim consilii, non praecepti, instar concepta, \*\*\*\*) vel quodammodo limitata, vel etiam legibus ipsis citatis non optime suffulta sunt. †) Fatetur ipse LEYSERUS, obstarere sibi laudum negotiatorum Lipsiensium 1697 datum, a KÖNIGKIO (in notis ad ordinationem cambialem Lipsensem) memoratum. Habes nunc idem in corpore Siegeliano ‡) late

D 2

ex-

\*) Meditationes ad pandectas Vol. XII. P. I. — in app. de jure cambiali qu. 7. pag. 8. — Suffragatur simpliciter, sed nullas adducens rationes RICCIUS in Ex. X. Sect. 5. §. 8.

\*\*) Grundsätze des W.R. §. 113. not. 6.

\*\*\*) FRANKIUM in institut. jur. camb. L. I. Sect. 4. tit. 8. §. 3.  
PHOONSEN, in Amsterdamer Wechselstyl c. 17. §. 9. etc.

\*\*\*\*) vid. e. g. PHOONSEN Amst. Wechselgebrauch loc. cit. in SIGEL corp. jur. camb. P. II. p. 279.

†) e. g. in FRANKII loc. cit.

‡) P. II. parere 26, pag. 31.



exhibitum. — Aliam sententiam secuti sunt negotiatori res anno 1718 \*), id quod LEYSERO non innotuit, quamquam responsum scabinorum Lipsiensium maxime memorabile in eadem causa prolatum opinioni suae contrarium ipse suae observationi annexuerit. Nihil certe in universum evincunt LEYSERI rationes. Provocat ad §. 6. ordinationis cambialis Lipsiensis; sed tum negotiatorum Lipsiensium collegium in laudo priori, tum scabini in responso citato, de singulari quodam et dissimili casu ibi sermonem esse, optime edocent. Provocat ad necessitatem protestationis propter non factam solutionem a legibus impositam; sed quanquam istae leges indefinite loquantur, tamen ad literas cambiales, ad quas acceptatio accesserit, aperte restringendae sunt. Aliud argumentum, „posse scilicet eum, qui in literis cambialibus solvere jussus fuit, et si acceptatio facta non sit, tamen die solutioni destinato solvere;“ minus adhuc evincit; non enim de possibilitate vel permissione, sed de obligatione solutionis quaeritur; is vero, qui non acceptavit, ex cambio nullo modo est obligatus. Accedit, omnia ista argumenta plus probare quam probare debeant, cum ex illis sequeretur, in omnibus casibus, non vero propter solam abuentiam, dupli protestatione opus esse.

## §. 30.

Mihi quidem ista quaestio, nisi plura distinguis, solvenda esse non videatur. Primum enim de cambiis irregularibus s. platearum (*Aufsermesswechsel*) videndum. Ex his terminus solutionis aliarum a die literarum visa-  
rum, aliarum vero a die literarum datarum pendet. \*\*)

Ap-

\*) Siegel corp. j. camb. P. II. parere 102. pag. 122.

\*\*) In cambiis a uso idem vel priori vel posteriori modo determi-  
natum est.